

usq; promontorium immenso habitu flectitur. In eo prima Hispania terrarū est, vltior appellata. Eadē Bætica. Mox à sine Vrgitano citerior, eademq; Tarraconensis ad Pyrenæa iuga. Vltior in duas per longitudinē provincias diuiditur. Siquidē Bætica latere septentrionali prætenditur Lusitania, amne Ana discreta. Ortus hic Laminitano agro citerioris Hispania, & modo se in stagna fundēs, modo in angustias resorbēs, aut in totū cuniculis cōdēs, et sæpius nasci gaudens, in Atlanticū oceanū effunditur. Tarraconensis autem affixa Pyrenæo, totoq; eius latere decurrēs, & simul ad Gallicū oceanū Iberico à mari transuersa se pandēs, Solorio mōte & Oretanis iugis Carpetanisq; & Asturū, à Bætica atq; Lusitania distinguitur. Bætica à flumine eā mediā secūte cognominata, cunctas prouinciarū diuiti cultu, & quodā fertili ac peculiari nitore præcedit. Iuridici cōuentus ei quatuor, Gaditanus, Cordubēsis, Astigitanus, Hispalensis. Oppida omnia numero clxxv. In vs coloniæ viij. municipia viij. Latio antiquitus donata xxix. libertate vi. fædere \* ij. stipēdiaria cxx. Ex his digna memoratu, aut Latiali sermone dictū facilia, à flumine Ana litore oceani oppidū Ossonoba, Lusitania cognominatū. Interfluentes Luxia & Vriū. Mariami montes. Bætis fluius. Littus Corēse inflexo sinu. Cuius ex aduerso Gades inter insulas dicēda. Promontoriū Iunonis. Portus Besippo. Oppida Belon, Mellaria. Fretū ex Atlātico mari. Cartheia, Tartessos à Grecis dicta. Mōs Calpe. Dein litore interno oppidū Barbesula cū fluuio. Itē Salduba oppidum, Suel, Malacha cū fluuio fæderatorū. Dein Menoba cū fluuio. Sextifirmū, cognomine Iulium. Sexi & Abdera. Murgis Bætica finis. Oram eā vniuersim originis Pænorū existimauit M. Agrippa. Ab Ana autem Atlantico oceano obuersa Bastulorum Turdulorumq; est. In vniuersam Hispaniam M. Varro peruenisse Iberos & Persas, & Phœnicas, Celtasq; & Pænos tradit. Lusum enim Liberi patris ac Lysam cū eo bacchantē, nomen dedisse Lusitania, & Pana præfectum eius vniuersæ. At quæ de Hercule ac Pyrene vel Saturno traduntur, fabulosa in primis arbitror. Bætis in Tarraconensi prouincia, nō vt aliqui dixerent Mētesa oppido, sed Tygensi exoriēs saltu, iuxta quem Tader fluius, qui Carthaginēsem agrū rigat, Ilorci refugit Scipionis rogam; versusq; in occasum. Oceanū Atlanticum prouinciam adoptās petit, modicus primo, sed multorum fluminum capax, quibus ipse famā aquasq; aufert. Bætica primum ab Osigetania infusus, amæno blandus alueo, crebris dextra læuaq; accolitur oppidis. Celeberrima inter hunc & oceani oram in mediterraneo Segeda, quæ Augurina cognominatur, Iulia quæ Fidētia, Virgao quæ Alba, Ebura quæ Cerealis. Eliberi quod Liberini, Ilipula q̄ Laus, Astigi quod Iulienfes, Vesca quod Fauentia, Singilia, Hegua, Arialdunum, Agla minor, Vbeda, Castra vinararia, Epusibrium, Hipponoua, Illarco, Osca, Escua, Sucubo. Nuditatum, Tucci vetus, omnia Bastetania

vergentis ad mare. Conuentus vero Cordubensis circa flumen ipsum Osigi, quod cognominatur Laconicum, Illiturgi quod Forumiulium, Ipasturgi quod Triumphale, Sitia, & xiiij. M. passū remotu in mediterraneo Obulco, quod pontificēse appellatur. Mox Ripepora fæderatorū, Sacili, Martialiū Onoba. Et dextra Corduba, colonia patritia cognominata, inde primū nauigabili Bæti. Oppida Carbullo, Decuma: fluius singulis, eodem Bætis latere incidēs. Oppida Hispalensis conuētus Celtiaca, Vacamana, Acria, Ilipa cognomine Italica. Et à læua Hispalis colonia, cognomine Romulēsis. Ex aduerso oppidū Offet, quod cognominatur Iulia Cōstātia, Vergentū, quod Iulij genitor, Hippo Caurasiarum, fluius Menoba, & ipse à dextro latere infusus. Ac inter æstuaria Bætis oppidum Nebrissa, cognomine Veneria, & Colobona, colonia Asta, quæ Regia dicitur. Et in mediterraneo Asida, quæ Cæsariana. Singulis fluius in Bætin, quo dictum est ordine, irrumpens, Astigitanam coloniam alluit, cognomine Augustam firmam, ab ea nauigabilis. Huius cōuentus sunt reliquæ coloniæ immunes. Tucci, quæ cognominatur Augusta gemella, Ituci quæ virtus Iulia, Attubi quæ claritas Iulia, Vrsō quæ Genua vrbanoꝝ, inter quæ fuit Munda cum Pompeij filio capta. Oppida libera, Astigi vetus, Ostippo. stipendiaria, Callet, Calucula, Castra gemina, Illipula minor, Merucra, Sucrona, Obulcula, Oningis. Ab ora venienti prope Menobam amnem & ipsum nauigabilem, haud procul accolunt Alontigiceli, Alostigi. Quæ autem regio à Bæti ad fluuium Anam tendit, extra prædicta Beturia appellatur, in duas diuisa partes, totidemq; gētes: Celticos qui Lusitaniā attingunt, Hispalensis cōuentus: Turdulos qui Lusitaniā & Tarraconensem accolūt, iura Cordubā petunt. Celticos à Celtiberis ex Lusitania aduenisse manifestum est, sacris lingua, oppidorū vocabulis, quæ cognominibus in Bætica distinguuntur: Seria quæ dicitur fama Iulia: Vertobrige, concordia Iulia: Segede restituta Iulia, cōtributa Iulia, Vcultuniacū, quæ & Turiga nūc est: Laco nimurgi, cōstantia Iulia: Terefibus fortunales, & Calensibus Emanici. Præter hæc in Celtica Acimbros, Arūda, Arūci, Turobrica, Lastigi, Alpesa, Sisapona, Serippo. Altera Beturia quam diximus Turdulorū, & cōuentus Cordubensis, habet oppida nō ignobilia, Arsam, Melariam, Mirobricā, regiones Osintigi, Sisapone. Gaditani conuētus ciuū Romanorū Regina, Latinorum Regia, Carisa cognomine Aurelia, Vria cognominata castrū Iulium. Item Cæsaris Salutarienfis. Stipendiaria, Besaro, Belippo, Barbesula, Lacippo, Besippo, Callet, Cappagū, Oleatro, Itucci, Brana, Sarguntia, Andorissippo. Longitudinem vniuersam eius prodidit M. Agrippa cccclxxv. M. passuum, latitudinem cclvij. M. sed cum termini Carthaginem vsque procederēt, quæ causa magnos errores computatione mensuræ sæpius \* parit. Et dum alibi mutato prouinciarum modo, alibi itinerum auctis & diminutis passibus

\* iij.

10

20

30

40

50

\* parit, alibi mutato pro.

sibus